

prodiisse. Galaxiam enim inter stellas fixas hærere, nec infra octavum orbem ad sphaeras Planetarum se demittere, partim ex omnimodâ parallaxeos absentia, quam ipse Longomontanus accuratè demonstrat, partim ex libero Planetarum transitu, quo absq; refractione, vel orbis luminosi amplificatione sub eadem incedunt, constat. Cometæ verò plerumq; circa sphaeras Lunæ, ♀ & ♃ consistere, nec unquam ad stellas fixas aspirare deprehenduntur. De stellâ novâ quidem ex accuratissimis Brahei observationibus admitti potest, quod in octavâ sphaerâ prope galaxiam extiterit, sed utrum ipsa evanescens hiatus inibi reliquerit, an hiatus ille dudum adfuerit veterum Astronomorum incuriâ neglectus non immeritò dubitari posse ipse Tycho fatetur. Sanè utut è galaxiæ substantiâ resultaverit stella nova, materiam tamen suam non tam per avulsionem certæ partis orbicularis relicto vacuo, quam per successivam partium hinc inde consistentium concursum & constipationem exinde petiisset: nec tam exigua galaxiæ rarioris substantia prædicto vacuo prius inclusa sufficere forsan potuisset, ut tantùm, tamq; splendidum adeoq; materiâ copiosâ maximèq; condensatâ præditum corpus novæ stellæ (quod Tycho Sole majus fuisse demonstrat) ex eâ resultasset. Accedit quod nondum satis, ut opinor, evictum sit, in galaxiâ præter constipatam illam minutissimarum stellarum congeriem (quam Galilæus telescopio suo primus inibi deprehendit) esse etiam densiorem quandam auræ cœlestis substantiam, stellulis prædictis substratam, quæ lumen earum exceptum atq; suo modo refractum in candorem determinet, cum & absq; tali materiâ substratâ stellarum istarum collucescentia limbi candentis speciem causare posse videatur, ut in stellis nebulosis apparet. Quod si galaxiam igitur meræ tantùm stellæ minutissimæ constituunt, non video, quomodo Cometæ materiam inde suam depromere possint, nisi duarum aut plurium ejusmodi stellarum congeriem Cometam esse cum quibusdam Philosophis antiquis dicere quis velit, quod hodiè nemo forsan admittet. Keppleri sententia de materiâ Cometarum, & quidem probabilior, hæc est: auram ætheream certis regionibus nonnunquam crassescere, adeo ut stellarum Solisq; lumen, quò minùs liberè perveniat ad ter-

ram,